

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE ECCLIESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Promoemium Paschae mentionem facit, & quod Deus cum variis viis  
omnium commodis consuluerat, ipsi, ab iis qui beneficiis eius affecti erant,  
insidiae structae sunt. Capvt I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

# CONSTANTINI IMPERATORIS ORATIO, QVAM AD SANCTORVM cœtum perscripsit.

Proœmium Paschæ mentionem facit, & quod Deus cum variis viis omnium commodis consuluerat, ipsi, ab iis qui beneficiis eius affecti erant, insidiæ struxerunt.

## CAPVT I.



Alutaris dies festus Paschatis, qui est, velut clarissimum diei & solis lumen, primordium resurrectionis vniuersæ carnis, noua corporum iam olim miseriis afflictorum coagmentatio, pignus promissionis, & semita ad æternam vitam deducens, nobis (charissimi ecclesiæ presides, reliquiq; omnes amici vosq; frequentes ac beatæ religiosorum multitudines, qui ipsum Deum religionis authorem, tum intimis animi cuiusque sensibus, tum expressis vocum præconiis secundum ea, quæ prophetarum oraculis prædicta sunt, sine intermissione celebratis) nobis, inquam, adest ad sanctè augusteque celebrandum. Tu natura omnium parens, quid vnquam tale ad mundi utilitatem contulisti? omnino vero quod, aut quale tuum est opificium? Siquidem qui est author omnium, etiam ut tu sis, author fuit. Iste quoque te ornauit: quippe naturæ decus est, vita ex naturæ regula instituta. Quæ autem contra naturam fiunt, efficiunt, ut nemo Deum omnium fabricatorem augustè decenterq; colat: quin potius existimet omnia non diuina prouidentia, sed fortuitu, temere, & inconsiderate regi. Et quanquam prophetæ (quibus certe fides adhiberi debet) diuini numinis afflatu istas res ita cœnturas sigillatim prædixerunt, tamen iniquus de-

mon

mon impietatis amicus , omnibus, ut dicitur, viribus opibusque restitit : à quo, tum vt lux veritatis maleuola obtristatione obscuraretur, tum errorum tenebræ animo ab hominum mentibus dispellerentur , magno studio laboratum est. Qui quidem illius conatus violentia & crudelitate non caruit: præsertim cum repentinum & improuisum plebeiorum hominum impetum , potentum consensu non solum adiuuaret, verum etiam ducem importunæ eorum se præberet amentiæ. Quare talis vitæ ratio, multis hominum ætatis continuata, illis qui iisdem vixere temporibus, grauissima mala inuexit. verum non multo post, cum seruator magno cum splendore se hominibus ostendiisset, iustitia post turbulentas cuiusque generis procellas apparuit, & omnia quæ prædicta erant à prophetis, cumulate expleta. Proinde ubi fuit sublimis ad patrios lares denuo sublatus, & orbem terrarum præclaris modestiæ & verecundiæ ornamentiis illustrauerat, sacro sanctum quoddam virtutis templum æternum & immortale, ecclesiam dico, in terra sibi exædificauit. In quo quæ sunt Deo, patri suo augustissimo, decora, quæque sibi ipsi conuenientia, piè & religiose instituit. Sed quid postea insanorum gentilium nequitia molita est? Christi beneficia abiçere, & ecclesiam ad omnium salutem constitutam labefactare studebat illa quidem: at impia seditio iterum excitata, bella, pugnæ, morositas, nimis exquisitus vitæ apparatus, diuinarum amor, suam ipsorum euertit superstitionem: & quod maximè ad improbitatis naturam pertinet, interdum fallaci & fucata spe deliniuit, interdum perterfecit metu: verum sicut recta ratio postulat, iaceat illa humi à virtute profligata, & poenitentia fracta, dissipataque succumbat. At nos iam ad ea quæ ad diuinum sermonem spectant attendamus.

*Alloquitur ecclesiam & auditores, ut agnoscant, ac emendent, si quid ab eo inter dicendum peccatum fuerit.*

CAP. II.

**A**Vdi igitur nauclere, qui castioniæ & virginitati preces: tuq; ecclesia teneræ ac rudis ætatis nutrix, cui veritas curæ est, curæque est & clementia, ex cuius perenni fonte salutaris riuis delabitur. Vos etiam, qui Deum

Qq 5 int-